



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LI. Albertvs I. Elector XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

1482. Sedis 7. Alschaffenburgi dissenteriae morbo est extinctus, cum interea sederent Pontifices Pius II, Paulus II. & Sixtus IV.

LI. ALBERTVS I, ELECTOR XXXV.

Albertus Ernesti Saxoniae ac Misniae Ducis filius Canonicus Moguntinus, annorum 17. juvenis à Theodorico annuente Canonicorum plurium parte in Adjutorem cooptatus, à Sixto IV. Pontifice confirmatus, spem maximam de se conceptam brevè elusit anno Sedis altero, ætatis 19. mense Majo inter crescentes, sed simul etiam emarcescentes flores, flos & ipse mortis falce demessus eodem anno 1404. quo Sixtus IV. ad plures abiit.

LII. BERTHOLDVS ELECTOR XXXVI.

Bertholdus Comes Hennebergicus Romheldensis à corporis præstantia, prudentia, doctrina & virtutibus plurimum laudatus Ecclesiae Moguntinae Decanus, omnium Electorum vocibus in primam Germanicæ Ecclesiae Sedem est vocatus 20. mensis Maij, inter publicos populi amores & timores. Fuit hic subditorum amor simul & timor prudentissimo Principi ansa, cur deinceps mansuetudinis nunquam non memor, pacem publicam & privatam conservare laborarit, meritò *Procurator Pacis* appellatus. Maximilianum I. Francofurti unà cum Electoribus reliquis in Romani Imperii Regem electum, & inde Imperatorem Aquisgrani coronatum, constanter suis adjuvit consiliis; unde hujus Electoris operâ & industriâ erectum est Tribunal Spirense *Judicium camerale* dictum. Fœderis etiam Suevici suasorem fuisse perhibent & adjutorem. Cum Bingii & Moguntia cives ob violata jura, mutuò dissiderent maximè, & jam vicinus Elector Palatinus Philippus cognomento Ingenuus armis instaret, singularis prudentiæ, ac in Superos conceptæ spei posteris reliquit testimonium: ad pa-
cis